



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Art. V. Vtrum de potentia Dei absoluta, gratia habitualis, & peccatum
mortale, possint esse simul in eodem subjecto?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

puris naturalibus constitutus, si in eo statu peccaret mortaliter. Consequentia videtur legitima: nam qui peccat cum ignorantia invincibili auctoris supernaturalis, non magis offendit Deum ut est finis supernaturalis, quam qui esset in puris naturalibus, cum invincibiliter eum ignoret: Ergo si primus à Deo ut fine supernaturali avertitur, secundus quoque ab eo averteretur.

110. Respondeo negando Antecedens, Ad cuius primam probationem dico, quod homo in eo casu neque esset conversus ad finem supernaturalem, neque averfus ab illo privativè, sed solum negativè, hoc est non conversus: cum verò dicitur non dari medium, respectu hominis lapsi, inter conversum in finem supernaturalem, & averfum ab eo, si intelligatur de averfo privativè, hoc verificatur solum de homine ordinato in finem supernaturalem, non verò de homine in puris naturalibus constituto.

Ad secundam probationem dicendum, quod quamvis ille, qui in statu puræ naturæ peccaret mortaliter, non posset post peccatum converti in finem supernaturalem, nisi ablato peccato; non tamen inde sequitur quod peccatum in ipso importaret privativam aversionem à Deo, ut est finis supernaturalis: quia conversio in finem supernaturalem non solum impeditur per aversionem ab eodem fine, sed etiam per aversionem à fine naturali, quæ tanquam fundamentum requiritur ad conversionem in finem supernaturalem, eò quod rectitudo gratiæ supponat rectitudinem naturæ.

Ad tertiam nego Antecedens: cum enim ignorantia invincibilis excuset à peccato, repugnat quod ille, qui Deum ut authorem & finem supernaturalem ignorat invincibiliter, ab ipso ut tali avertatur aversione privativâ & culpabili: unde ille, qui cum ignorantia invincibili Dei ut auctoris & finis supernaturalis peccaret mortaliter, solum ab ipso ut fine naturali privativè averteretur, & ab eodem ut fine supernaturali negativè tantum maneret averfus. Idem dicendum est de illo, qui in statu puræ naturæ peccaret mortaliter, ut in responsione ad primam probationem diximus: unde illi quoad hoc essent æquales.

111. Objicies ultimò: Non potest remitti peccatum sine intrinseca peccatoris mutatione, ut §. 2. ostendimus: At huiusmodi mutatio non potest fieri, nisi per infusionem gratiæ: Ergo in statu naturæ puræ requireretur gratiæ infusio ad remissionem peccati.

112. Respondeo concessa Majori, negando Minorem: quia licet in statu naturæ elevata, ad remissionem peccati mortalis requiratur mutatio facta per infusionem gratiæ; tamen in statu puræ naturæ sufficeret mutatio facta per actum dilectionis naturalis, & acceptatio à Deo per modum compensationis offensæ: nam ratione primi, tolleretur ab homine deordinatio maculæ, & ratione secundi, malitia offensæ.

ARTICULVS V.

Utum de potentia Dei absoluta, gratia habitualis, & peccatum mortale, possint esse simul in eodem subiecto?

§. I.

Referuntur sententia, & vera eliguntur.

Questio procedit tam de peccato actuali, quod est actus quidam inordinatus & difformis regulis morum, vel omisso actus debiti, quam de habituali, quod consistit in quadam macula, ex peccato præcedenti in anima relicta, ut in Tractatu de peccatis declaravimus. Unde queritur an gratia habitualis, & peccatum mortale, possint esse simul in homine, vel actualiter peccante, vel existente habitualiter in peccato mortali: sive Deus id efficiat, conservando in illo gratiam jam existentem, sive de novo infundendo gratiam habitualement; eadem enim est questio, neque maiorem ingerit difficultatem unum quam aliud.

Prima opinio asserit gratiam habitualement & peccatum mortale, tam actuale, quam habituale, non adeò inter se pugnare, quin de absoluta Dei potentia in eodem subiecto, atque eodem tempore, simul esse possint. Ita Scotista, solum plerique, Nominales, Cuius hic art. 2. dub. 1. & latissimè Suarez lib. 7. de gratia cap. 19. & 20.

Secunda distinguens inter peccatum actuale & habituale, docet per Dei omnipotentiam posse gratiam habitualement simul esse cum peccato actuali mortali; implicare tamen ut pariter simul sit cum habituali, eodem tempore, & in eodem subiecto. Ita Petrus à Lorca hic disp. 40. §. dico tertio. & 2. 2. quest. 24. sect. 3. disp. 22. in appendice.

Pro tertia opinione, communi in Schola Thomistarum, quam sequuntur Montezino, Vazquez, Turrianus, Gamacheus, Amicus, & alij.

Dico: tanta est inter gratiam habitualement, & peccatum mortale, tum actuale, tum habituale pugna, ut ne divinâ quidem virtute in eodem subiecto simul esse possint.

Probat primò conclusio ex Scriptura: dicitur enim 1. Joan. 3. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius* (scilicet gratia sanctificans) *in eo manet: & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Quibus verbis Apostolus non solum impossibilitatem gratiæ cum peccato declarat, sed etiam profundissimam illius rationem insinuat, quæ sic potest breviter proponi. Gratia est semen Dei, seu natura divina participata, ut in Tractatu de gratia fuse ostendimus: Sed natura divina participata non potest cum peccato, sive actuali, sive habituali stare, etiam de absoluta potentia: Ergo nec gratia: Minor probatur: sicut natura divina est ipsa met rectitudo, sanctitas, & puritas per essentiam; ita participatio divinæ naturæ est participatio divinæ rectitudinis, puritatis, & sanctitatis: Ergo sicut natura divina, ratione suæ infinitæ sanctitatis & puritatis, habet omnimodam impossibilitatem cum peccato; ita & gratia, ob participationem eiusdem puritatis & sanctita-



tis, eandem participativè habebit cum peccato repugnantiā: quod enim alicui formæ convenit per essentiam, participationi ipsius competit per participationem; sicut lunæ competit illuminare, & expellere tenebras, quia lumen ejus est participatio lucis Solis.

116. Confirmatur: Fides, prophetia, & lumen gloriæ stare nequeunt cum errore, mendacio, & falsitate, quia participant divinam cognitionem, quæ cum illis defectibus est impossibilis: item charitas non potest simul esse cum aversione & odio Dei, quia est participatio divini amoris, qui aversionem seu odium Dei formaliter excludit, & cum eo stare nequit: Ergo similiter cum gratia habitualis divinam sanctitatem participet (unde & sanctificans dicitur) sicut natura divina, ratione suæ infinitæ sanctitatis, omnimodum habet cum peccato, sive actuali, sive habituali, impossibilitatem; ita & gratia, ratione sanctitatis participatæ quam in se continet, eandem habebit repugnantiā.

117. Probatur secundò conclusio: Cùm gratia habitualis habeat ex natura rei vim expellendi peccatum, ut supra ostensum est, si Deus de absoluta potentia impediret ne ipsum de facto expelleret, illud Deo ut conservatori speciali tribueretur: Sed hoc repugnat: Ergo & illud. Minor est certa: sicut enim Deus, ratione suæ infinitæ sanctitatis, non potest causare peccatum in anima, ita nec illud in ea conservare; præsertim cùm conservatio sit continuata productio, & talis naturæ, quod produceret rem quam conservat, si eam non inveniret productam, ut communiter docent Philosophi. Major verò suadet: Illud quod est à Deo ut operante præternaturaliter, seu contra exigentiā, & connaturalem inclinationem causarum secundarum, ipsi ut authori speciali tribuitur; hac enim ratione omnia miracula in Deum ut authorem & provisorum specialem reducuntur: Ergo sicut si Deus per absolutam potentiam impediret, ne calor ignis expelleret frigus ab aqua, conservatio frigoris, ipsi ut authori & causæ speciali tribueretur; ita cùm gratia habitualis non minorem habeat vim ex natura sua expellendi peccatum, quam calor ad expellendum frigus, imò multò majorem, ut infra patebit; si Deus de absoluta potentia impediret ne ipsum de facto expelleret, ejus conservatio, seu non expulsio, in Deum ut authorem, seu conservatorem specialem reduceretur.

118. Probatur tertio: Quæ privativè opponuntur, nō possunt simul esse in eodem subiecto, etiam de absoluta Dei potentia: Sed respectu naturæ elevatæ ad ordinem & finem supernaturalem, gratia habitualis & peccatum opponuntur privativè: Ergo de absoluta Dei potentia simul esse nequeunt. Major patet: aliās enim forma & carentia ejus possent simul stare in eodem subiecto, subindeque idem simul esse & non esse posset; quod manifestam contradictionem continet. Minor probatur: Peccatum habituale consistit in quadam macula, relicta in anima ex peccato actuali, & in ea veluti habitualiter perseverante, donec præcedens peccatum retractetur: Sed talis macula, in statu elevationis naturæ humanæ ad ordinem supernaturalem, consistit in privatione gratiæ habitualis, cum respectu ad actum peccati præcedentem, à quo causatur, ut docet D. Thomas supra quæst. 86. art. 1. ad 3. & nos fuse ostendimus in Tractatu de peccatis, subinde-

Tom. IV.

A que privativè ipsi opponitur: Ergo in statu elevationis naturæ humanæ ad ordinem supernaturalem, gratia & peccatum habituale opponuntur privativè. Idem cum proportionem dicendum de peccato actuali: illud enim opponitur etiam privativè gratiæ, quamvis non ita directè, sicut habituale; quia istud opponitur immediatè per se ipsum, illud verò ratione effectus quem essentialiter connotat. Unde propterea peccatum habituale expellit gratiam, nedum moraliter & demeritorie, sed etiam physice, non activè, sed formaliter, per impossibilitatem, & eo modo quo mors expellit vitam, & tenebræ lucem: at verò peccatum actuale expellit eam activè moraliter, & physice; quia expellere physice aliquam formam, non est aliud quàm causare physice aliquid cum ea ex naturā rei impossibile; peccatum autem actuale causat peccatum habituale, quod ex natura rei cum gratia impossibile est.

B Confirmatur: Peccatū actuale est obstaculum infusioni & conservationi gratiæ: Ergo necessario infert privationem gratiæ. Consequentia patet: idē enim corpus opacum Soli oppositum, facit umbram, & infert privationem lucis, quia est obstaculum ejus irradiationi. Antecedens probatur: Peccatum mortale actuale contrariatur amicitia Dei; quia homo, illud eligendo, præfert privatum commodum, vel voluntatem propriam, amicitia & dilectioni Dei: Ergo est obstaculum infusioni & conservationi gratiæ, quæ est effectus dilectionis Dei specialis erga hominem.

C Probatur quartò ratione quam habet D. Thomas 2. 2. quæst. 24. art. 12. in argum. *sed contra*. Per peccatum mortale homo fit dignus pœnā æternā, juxta illud ad Roman. 6. *stipendia peccati mors*; e contra verò per gratiam & charitatem meretur vitam æternam; dicitur enim Joan. *Si quis diligit me, diligitur à Patre meo, & ego diligam eum. & manifestabo ei meipsum*, in qua manifestatione consistit vita æterna, juxta illud Joan. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*: Sed nullus potest esse dignus simul vitā & morte æternā: Ergo est impossibile quod aliquis habeat gratiam habitualem, & habitum charitatis, simul cum peccato mortali actuali.

D Quintò suaderi potest conclusio: Implicat contradictionem quod aliquis simul habeat plures ultimos fines totales, inter se non subordinatos; aliās quilibet esset ultimus & non ultimus, ut in Tractatu de ultimo fine variis rationibus demonstravimus: Sed ille qui gratiā & charitate præditus est, habet Deum pro ultimo fine totali; ille verò qui peccat mortaliter, ultimum finem in creatura, seu in bono proprio & privato adequatè constituit, ut contra Adrianum in Tractatu de peccatis ostensum est: Ergo implicat contradictionem, quod aliquis in gratia & peccato simul existat.

E Sextò probatur conclusio: Gratia habitualis, cùm sit principium radicale operum supernaturalium, est vita spiritualis, seu supernaturalis animæ, sicut anima est vita corporis; peccatum verò e contra est mors spiritualis ejus; unde Gregorius Nazianzenus orat. 19. ad finem ait: *Vna mors peccatum est, est enim anima interitus*; & Augustinus serm. 5. de verbis Domini: *Sicut anima* (inquit) *est vita corporis, ita anima vita est Deus* (unitus ipsi per gratiam & charitatem) *sicut expirat corpus, cum animam emittit, ita expirat anima cum*

T iij

Deum amittit; Deus amissus, mors anima; anima emissa, mors corporis. Ergo sicut vita & mors corporea non possunt simul esse in eodem subiecto, etiam de absoluta Dei potentia, ita nec gratia & peccatum, sive actuale, sive habituale, simul stare in eadem anima.

123. Confirmatur: Gratia in Scriptura vocatur lumen; peccatum verò dicitur tenebra, ut patet ex illo 1. Petri 2. *De tenebris nos vocavit in admirabile lumen suum*, id est de peccatis ad gratiam: Ergo sicut tanta est inter lucem & tenebras pugna, ut ne divinitus quidem in eodem subiecto, & eodem tempore, simul esse possint, ut constat; ita tanta est inter peccatum mortale & gratiam repugnantia & oppositio, ut etiam per absolutam Dei potentiam, simul stare nequeant in eadem anima. *Qua enim (inquit Apostolus) participatio iustitiae cum iniquitate, aut qua societas lucis ad tenebras?*

124. Denique probari potest conclusio hac ratione fundamentali. Effectus formales gratiae sanctificantis, & peccati mortalis, sunt impossibiles, etiam per divinam potentiam: Ergo & ipsa eorum forma, nempe gratia habitualis & peccatum. Consequentia patet: cum enim effectus formales nihil aliud sint quam ipsamet formae communicatae subiecto, & significatae in concreto, quā ratione inter se pugnant effectus formales, eadem quoque inter se pugnant formae à quibus proveniunt. Antecedens verò probatur: Effectus formales gratiae sanctificantis sunt, reddere hominem divinae naturae confortem, ac subinde illum filium Dei adoptivum constituere, & acceptum ad divinam amicitiam, illique jus tribuere ad aeternam beatitudinem; contra effectus formales peccati mortalis, tam actualis, quam habitualis, sunt destruere in homine participationem divinae naturae, reddere illum inimicum Deo, & privare illum divina filiatione, & per consequens iure ad aeternam beatitudinem: Sed ejusmodi effectus nequeunt ullā potentia eidem subiecto convenire simul, ut constat: Ergo nec effectus gratiae sanctificantis, & effectus peccati mortalis, sive actualis, sive habitualis.

125. Nec valet, si dicas cum Suarez, effectus illos gratiae habitualis non esse primarios, sed secundarios, ac proinde ab illa per absolutam Dei potentiam separari posse; sicut risibilitas separabilis est à rationalitate, extensio localis à quantitate, & gaudium beatificum à clara Dei visione. Non valet, inquam: Tum quia aliqui ex illis effectibus sunt primarij, ut reddere hominem confortem divinae naturae, & filium Dei adoptivum, subindeque tribuere ipsi jus ad regni coelestis hereditatem: Tum etiam quia licet aliqui secundarij sint, omnes tamen in natura gratiae sanctificantis sunt intimè radicati, sicut proprietates radicanur in essentia à qua dimanant: unde sicut habenti rationalitatem, potest quidem, de absoluta potentia, deesse risibilitas actualis, non tamen inesse inrisibilitas; ita homini habenti gratiam habitualement, possunt forte, de potentia extraordinaria, deesse aliqui ex effectibus recensitis, repugnat tamen quòd in eo sint effectus peccati, privativè, vel contrariè illis oppositi.

Addo quod, cum actus communicativus gratiae sanctificantis sit perfecta Dei dilectio, secunda, & efficax, non supponens, sed faciens objectum sibi congruum, ut articulo praecedenti declaravimus, impossibile est quòd in homine, quem Deus

A hac speciali dilectione prosequitur, remaneat aliquid, quòd reddat illum Deo inimicum, & invisum, atque objectum odij & aversionis ipsius.

§. II.

Solvuntur objectiones.

O Bijcies primò: Peccatum mortale actuale non expellit gratiam physicè, sed tantum moraliter & demeritoriè, quia scilicet facit ut peccator mereatur à Deo puniri amissione gratiae, ipsaque privari ac spoliari in poenam illius: Ergo de absoluta Dei potentia fieri potest, quòd adveniente peccato mortali, homo retineat gratiam; subindeque quòd peccatum actuale & gratia simul in eodem subiecto existant. Consequentia videtur legitima: quia quantumcumque quis peccando mereatur aliquam poenam, non tenetur Deus illam infligere, sed potest, de potentia saltem extraordinaria, eam remittere seu condonare: Ergo si peccatum mortale actuale solum moraliter & demeritoriè expellat gratiam, quatenus meretur ejus privationem, poterit, saltem de absoluta potentia, simul cum ea stare in eodem subiecto.

C Respondeo negando Antecedens: Peccatum enim actuale mortale effectivè simul & demeritoriè, subindeque physicè & moraliter gratiam sanctificantem expellit ab anima. In eo siquidem tria considerari possunt, nimirum ratio offensae, seu injuriae Deo illatae; & sub hac ratione demeritoriè tantum & moraliter gratiam expellit: aversio à Deo, & conversio ad creaturam; & hac gratiam physicè expellunt, non quidem proximè & immediatè, sed mediante conversione habituali ad creaturam ut ultimum finem, quam peccatum actuale relinquit; hac enim expellit charitatem, & consequenter gratiam in qua radicitur: denique potest considerari in peccato actuali id quòd causat & relinquit in anima, scilicet macula; & hac proximè & immediatè expellit gratiam, sicut privatio formam: nec est inconveniens quòd unum & idem, sub diversa ratione, physicè & moraliter, effectivè ac demeritoriè aliquam formam expellat.

D Dices primò: Solus Deus causat gratiam effectivè: Ergo ille solus potest eam effectivè expellere.

Sed negatur Consequentia: Nam sicut anima rationalis efficitur à solo Deo, & tamen non solus Deus eam expellit effectivè à corpore, sed etiam omne illud quòd causat dispositiones impossibiles cum unione ejus cum corpore; ita pariter, licet solus Deus effectivè gratiam causet per modum principalis agentis, homo tamen peccando, & ponendo dispositiones cum ea impossibiles, effectivè concurrat ad ejus expulsionem & corruptionem.

E Dices secundò: Esto peccatum actuale efficienter destruat gratiam, Deus tamen potest ejus causalitatem impedire: Ergo potest efficere quòd peccatum actuale gratiam non expellat, subindeque ut simul cum ea in eodem subiecto existat.

Respondeo negando Antecedens: Deus enim illam solam causalitatem impedire potest, quae ab ipso dependet & procedit; causalitas verò, per quam peccatum actuale dicitur causa peccati habitualis, nec à Deo dependet, nec procedit; quia Deus neque peccati actualis, nec habitualis, subindeque nec eorum causalitatis, potest esse causa.

Obijcies secundò: Si gratia habitualis non posset simul esse cum peccato actuali, per potentiam Dei absolutam, haberet cum eo oppositionem aliquam, ratione cuius hoc repugnaret: Sed non potest explicari quæ sit ista oppositio: Ergo non repugnat ea simul in eodem subiecto existere. Major constat, Minor probatur. Vel hæc oppositio esset privativa, vel contraria: Neutrum dici potest: Ergo &c. Major est evidens: cum enim neutrum sit in genere relationis, neque negatio, manifestum est quod nec relativè, nec contradictoriè possunt opponi, subindeque quod si opponantur, non nisi privativè vel contrariè oppositione gaudere possunt. Minor verò quoad utramque partem suadetur. Et in primis quod peccatum actuale gratiæ habituali privativè non opponatur, videtur certum: quia peccatum actuale non consistit in privativo, sed in actu inordinato, vel omissione actûs debiti; & quamvis in privativo consisteret, non haberetur intentum, quia non consisteret in privatione gratiæ habitualis, sed in carentia rectitudinis debiti inesse actui.

Deinde quod non opponatur ipsi contrariè, probatur multipliciter. Primò, cum ex Philosophorum doctrina, contraria ea sint quæ ab eodem subiecto mutuo se expellunt, debent habere idem subiectum: Sed peccatum actuale non est in eodem subiecto, in quo gratia sanctificans existit, quia peccatum est in potentia, gratia verò sanctificans in substantia animæ: Ergo peccatum actuale non opponitur ipsi contrariè.

Secundò, Peccatū mortale & veniale interdum sunt ejusdem speciei, tam in essentia, quam in esse malitiæ moralis, ut constat in peccato mortali & veniali furti: At peccatum veniale non contrariatur gratiæ: Ergo nec peccatum mortale ipsi contrariè opponitur.

Tertiò, Peccatum omissionis dicitur peccatum actuale, & tamen cum sit privatio, non contrariatur gratiæ habituali: Ergo idem quod prius.

Quartò, Si peccatum actuale opponatur contrariè gratiæ habituali, vel hoc habet ratione materialis quod importat, vel ratione formalis in quo consistit: Neutrum dici potest: Ergo &c. Probatur Minor: & quidem quod non opponatur gratiæ ratione materialis, satis constat, cum illud sit bonum, & effectus Dei, subindeque gratiæ minimè adversum. Quod verò neque ratione formalis, probatur. Vel enim illud formale consistit in privatione actualis bonitatis, seu rectitudinis debiti, vel in relatione dissonantiæ à lege: neutrum autem istorum gratiæ physicè contrarium est: non quidem privatio bonitatis, ut constat: sed nec etiam relatio dissonantiæ à lege: quia cum sit formalitas moralis, non est aliquid physicum (aliàs genus moris non distingueretur à genere physico) subindeque nequit habere physicam repugnantiam cum ente physico, quale est gratia habitualis: Ergo &c.

Denique, Actus non contrariatur habitui opposito, sed potest cum ipso simul existere, in eodem subiecto, ut patet in actu intemperantiæ, qui potest simul esse cum virtute temperantiæ, vel contra unus actus temperantiæ cum vitio intemperantiæ, quia habitus acquisiti non tolluntur per unum actum contrarium: Ergo peccatum actuale non opponitur contrariè gratiæ habituali, sed potest simul cum illa in eodem subiecto existere.

A Respondeo ad objectionem, concessâ Majori, negando Minorem. Ad cuius probationem, nego etiam Minorem quoad utramque partem, & dico peccatum actuale privativè & contrariè gratiæ habituali opponi, non quidem immediatè, sed mediatè: nam peccatum actuale causat habituale, quod cum in privatione gratiæ habitualis consistat, ipsi per se & immediatè privativè opponitur, subindeque peccatum actuale, à quo causatur, mediatè saltem & per accidens illi quoque opponitur eodem genere oppositionis. Item cum peccatum actuale sit dispositio, ad quam sequitur corruptio seu expulsio gratiæ ab anima, & inter formam & contrariam dispositionem repariatur oppositio contraria mediata, illud etiam contrariè opponitur gratiæ habituali, saltem mediatè. Unde

B Ad primam probationem in contrarium, distinguo Majorem: Contraria physicè debent habere idem subiectum, vel proximum & immediatum, vel remotum, mediatum, & totale, concedo Majorem: debent habere semper idem subiectum proximum & immediatum, ita ut nunquam sufficiat remotum, mediatum, & totale, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: Peccatum actuale non est in eodem subiecto, proximo & immediato, in quo est gratia habitualis, concedo Minorem: non est in eodem subiecto, mediato & totali, nego Minorem, & Consequentiam.

C Explicatur: Licet subiectum immediatum peccati actualis sit sola voluntas, mediatum tamen est ipsa anima, seu persona peccans, quia ita voluntatem afficit, ut etiam toti personæ aliquos effectus tribuat, v. g. esse Dei inimicum, & ab eo aversum, & dignum pœnâ æternâ. Similiter licet ipsa gratia habitualis sit in essentia animæ, tanquam in subiecto proximo & immediato, constituit tamen totum hominem conversum ad Deum, saltem radicaliter, & dignum vitâ æternâ; & hoc sufficit ut opponantur contrariè, seseque invicem ab eodem subiecto excludant.

D Ad secundam dicendum est, in peccatis mortali & veniali duas species esse distinguendas; unam essentialē actibus in quibus peccata illa consistunt, quæ scilicet sumitur ex eorum obiecto, & sine proximo, qui dicitur finis operis: alteram accidentalem, quæ sumitur ex fine operantis: licet autem peccatum veniale & mortale habere eandem speciem essentialē contingat, quando sunt in eadem materia, semper tamen habent diversam speciem accidentalem; quia finis ultimus operantis in commissione peccati mortalis est creatura, non verò in commissione venialis.

E Ad tertiam respondeo peccatum omissionis ex actu & privatione compleri: non potest enim esse peccatum, nisi sit voluntarium, nec esse voluntarium, nisi ratione actûs: unde consistit in omissione sive privatione voluntaria, ac proinde contrariatur gratiæ habituali.

Ad quartam dicatur peccatum actuale opponi contrariè gratiæ habituali, non præcisè ratione materialis, neque præcisè ratione sui formalis, sed ratione materialis, ut substrati rationi formalis.

Ad ultimâ respondetur, actum non contrariari habitui opposito, nec ipsum destruere vel expellere, quando talis habitus est acquisitus; secus verò si sit infusus, qualis est gratia sanctificans: nam habitus acquisiti à virtute sui subiecti pendet.

in fieri & conservari: gratia verò & alij habitus infusi, quoad sui productionem & conservationem, pendent ex actione Dei illos infundentis & conservantis; sicut lux in suo fieri & conservari pendet ex illuminatione Solis: unde quemadmodum lumen statim cessaret in aëre, si aliquod obstaculum poneretur illuminationi Solis, ita posito uno solum peccato mortali in anima, statim deficit habitus gratiæ & charitatis, quia per quodlibet peccatum mortale ponitur obstaculum ejus infusioni & conservationi.

Addo quod si argumentum valeret, probaret non solum de potentia absoluta, sed etiam de ordinaria, gratiam esse posse cum uno aut altero peccato mortali: quandoquidem absque miraculo habitus acquisitus cum actu contrario esse potest.

132. Dices: Etsi detur peccatum actuale & gratiam habitualemente opponi contrariè, tamen cum Deus possit duas formas contrarias simul in eodem subiecto conservare, ut calorem & frigus, poterit etiam conservare gratiam in anima, non obstante præsentia peccati actualis; subindeque efficere ut gratia & peccatum actuale simul in eodem subiecto existant.

Respondeo primò, quod hæc instantia valeret, si gratia & peccatum actuale solum contrariè inter se opponerentur: at verò illa, ut supra diximus, gaudent non solum oppositione contrarià, sed etiam privativà, mediata saltem; cum peccatum actuale causet habituale, quod per se & immediate gratia habituali privativè opponitur.

Respondeo secundò, quod licet possit Deus duas formas contrarias simul in eodem subiecto conservare, quando potest utriusque causalitates effectivas impedire, non tamen quando hoc est ei impossibile: impossibile autem est quod impediat ne peccatum actuale producat habituale, & consequenter gratiam destruat: quia illam solam causalitatem impedire potest, quæ ab ipso dependet & procedit, qualis tamen non est ea, per quam peccatum actuale dicitur causa peccati habitualis, quia Deus neque peccati actualis, neque habitualis, subindeque nec eorum causalitatis, causa esse potest, ut supra annotavimus.

133. Obijcies tertio: Existente actuali peccato, ut habitus gratiæ expellatur, necessarium est, ut Deus suspendat concursum quo illum conservabat: Sed peccatum actuale non infert Deo necessitatem physicam suspendendi talem concursum, neque apparet unde talis necessitas absoluta provenire possit: Ergo existente peccato actuali, de potentia Dei absoluta, potest habitus gratiæ ab anima non expelli, sed in ea conservari. Major patet, Minor probatur. Licet habitus gratiæ fortasse naturà suà postulet, ut non conservetur in subiecto pravè affecto, Deus tamen potest non agere secundum exigentiam naturalem formæ creatæ, & supernaturaliter conservare ea quæ naturaliter pugnant inter se: Ergo peccatum actuale non infert Deo necessitatem physicam suspendendi concursum conservativum gratiæ habitualis.

134. Respondeo distinguendo Majorem: Ut habitus gratiæ expellatur, necessarium est quod Deus suspendat concursum quo illum conservabat, annihilando talem habitum, nego Majorem: ut suspendat concursum medià aliquâ formâ impossibilem cum illo, scilicet peccato quod Deus esse permittit, concedo Majorem. Similiter distinguo Minorem: Peccatum actuale non infert Deo necessitatem physicam suspendendi concursum con-

A servativum gratiæ, absolute, concedo Minorem: ex suppositione quod permittat peccatum, nego Minorem. Ad probationem in contrarium dicatur, quod exigentia ex parte peccati ut gratia non conservetur, est oppositio privativa, quæ necessariò tollit formam oppositam: licet enim peccatum actuale non opponatur gratiæ oppositione privativà immediatà, bene tamen oppositione privativà mediata, ut antea declaravimus.

Obijcies quartò: Quod peccatum simul cum gratia vel charitate existat, non repugnat ex parte justitiæ Dei, vel ex parte sapientiæ ejus: Ergo id videtur possibile. Consequentia videtur legitima: Antecedens quoad primam partem probatur. B Deus non esset injustus, si conservaret gratiam cum peccato mortali; cum non obligetur ex rigore justitiæ omnem penam peccato debitam exigere, quia supremus dominus & gubernator potest vel dispensare, vel misericordià uti: Ergo id non repugnat ex parte divinæ justitiæ. Suadetur etiam quoad secundam: Conservare gratiam cum peccato mortali, non est intrinsecè malum, ut mentiri; neque extrinsecè ex parte finis, quia Deus potest infinitas rationes & fines suorum operum habere, quamvis homo non valeat eos percipere; magisque stupendum & mirabile est, Deum mori pro peccatoribus, quam conservare peccatum cum gratia, & tamen illius plures rationes & fines inveniuntur: Ergo &c.

C Confirmatur: Deus nunc de facto conservat habitum fidei & spei in peccatore fideli, & non in hæretico, propter specialem repugnantiam peccati hæresis cum fide, & tamen utrumque poterat Deus immutare, & conservare habitum fidei in hæretico, ipsumque, propter quodlibet peccatum mortale ab homine fideli auferre: Ergo licet sit specialis repugnantia inter peccatum mortale & habitum charitatis, potest Deus, de absoluta potentia, habitum charitatis, vel gratiæ sanctificantis, conservare cum peccato.

Ad argumentum in primis dico, quod licet daretur divinæ justitiæ vel sapientiæ non repugnare, quod conservet gratiam cum peccato mortali, nihilominus staret veritas nostræ sententiæ; quia ad illam sufficit, quod talis conjunctio alicui Dei attributo repugnet: illa autem, cum multiplicem, ut ostendimus, contradictionem involvat, repugnat divinæ omnipotentia; & cum ex ea sequatur, quod Deus esset specialis author vel conservator peccati, ut in secunda probatione nostræ conclusionis declaravimus, non potest stare cum divina sanctitate.

Secundò respondeo negando Antecedens: repugnat enim sapientiæ, & justitiæ Dei, quod simul judicet hominem dignum morte æternâ, & dignum vitâ æternâ; & simul diligat hominem amore supernaturali simpliciter, & odio ipsum prosequatur; & quod acceptet ad vitam æternam, quem judicat dignum penâ æternâ: hæc autem inconvenientia sequerentur, si peccatum simul cum gratia habituali existeret, ut ex supra dictis constat.

E Ad confirmationem nego Antecedens quoad secundam partem: nam eodem modo implicat hominem simul habere fidem & hæresim, vel errorem, quo repugnat gratiam & peccatum esse simul, propter similem oppositionem privativam vel contrariam, quæ inter fidem & hæresim, vel errorem reperitur.

Obijcies ultimò: Infusio gratiæ non sufficit ad remissionem peccati, sed ad hunc effectum præterea

terea requiritur specialis ac novus favor Dei, con-
donantis injuriam sibi per peccatum illaram: Ergo
cum possit Deus suum illum favorem specialem
continere, utpote à libera sua voluntate depen-
dentem, & gratiam solis suis nativis viribus reli-
ctam infundere, potest etiam efficere, quod gratia
peccatum habituale ab anima non expellat, sed
simul cum ea existat. Consequentia patet, Ante-
cedens verò probatur. Quod est bonitatis finitæ,
nequit vi suâ expellere malitiam infinitam: Sed
bonitas gratiæ est finita, & malitia peccati mor-
talis infinita saltem secundum quid: Ergo gratia
nequit ex vi propria, & ex sua efficacia, & valore
intrinsicco, destruere peccatum habituale, seu illud
ab anima expellere, sed ad hoc, præter infusionem
gratiæ, requiritur specialis ac novus favor Dei
condonantis injuriam sibi per peccatum illaram.

141. Confirmatur: Potest Deus de potentia absoluta
hominem in gratia existentem non acceptare ad
vitam æternam, & contra existentem in peccato
mortali, ad æternam gloriam acceptare: Ergo &
efficere quod idem homo sit simul in gratia, & in
peccato mortali.

142. Respondeo negando Antecedens: Cum enim
gratia habitualis, & peccatum habituale, oppo-
nantur privativè, necessariò in ipsa gratiæ & cha-
ritatis infusione includitur voluntas divina remit-
tendi peccatum, ac proinde non est necessariò
alius favor, vel alia condonatio ad remissionem
peccati, præter infusionem gratiæ; maxime quia
gratia ex se præcisè sufficientem habet efficacita-
tem ad constituendum hominem filium Dei adop-
tivum, atque adeò ad tribuendum illi jus ad glo-
riam tanquam hæreditatem, quod stare non po-
test cum peccato mortali non remisso. Gratia
item, cum sit participatio divinæ naturæ & sancti-
tatis, ex se præcisè sanctificat, ac proinde removel
peccatum; sanctitas enim est puritas & mundities
à peccato. Ad probationem autem in contrarium,
distinguo Majorem: Quod est bonitatis finitæ, ne-
quit expellere malitiam infinitam, per modum sa-
tisfactionis, concedo Majorem. Per modum for-
mæ impossibilis cum ipso peccato, qualis est
gratia habitualis, nego Majorem.

143. Addunt aliqui, quod sicut peccatum, ut est
offensa Dei, habet malitiam secundum quid infi-
nitam, quatenus offendit personam infinitæ dig-
nitatis; ita gratia habitualis gaudet bonitate &
perfectione infinita secundum quid, quia est par-
ticipatio formalis naturæ divinæ, etiam formaliter
& reduplicativè ut infinita est, & actus pu-
rus, habetque totam essendi plenitudinem, sub-
bindeque ex infinita malitia peccati non rectè
inferri, ad remissionem seu expulsionem peccati
habitualis, præter infusionem gratiæ, requiri fa-
vorem extrinsecum Dei condonantis injuriam si-
bi illatam; cum malitia secundum quid infinita,
quæ in peccato reperitur, destrui possit per boni-
tatem & perfectionem infinitam secundum
quid, quæ convenit gratiæ sanctificant. Sed de
hoc in Tractatu de Incarnatione dicemus.

144. Ad confirmationem, concessâ primâ parte An-
tecedentis, negatur Consequentia: ut enim idem
homo esset simul in gratia & peccato mortali,
oporteret quod esset simul intrinsicè dignus glo-
riâ, ratione gratiæ, & intrinsicè illâ indignus, ra-
tione peccati: licet autem possit Deus, utendo suâ
potentiâ absolutâ, hominem in gratia existentem,
extrinsicè, & non attendendo ad jus quod habet
ad gloriam, eum non acceptare ad illam, non ta-

Tom. IV.

A men efficere, quandiu remanet in statu gratiæ,
quod sit intrinsicè gloriâ indignus.

Quantum verò ad secundam partem Antece-
dentis, dico quod licet existentem in peccato mor-
tali possit Deus acceptare ad gloriam, pro tempo-
re futuro, quando erit in gratia (hoc enim modo
peccatorem prædestinatum acceptat ad gloriam)
non tamen pro tempore præsentis, in quo suppo-
nitur habere peccatum mortale, & carere gratiâ
habituali: cum enim visio beatifica sit actus per-
fectè vitalis, vitalitate supernaturali, supponit ne-
cessariò in homine principium radicale vitæ su-
pernaturalis, quod est gratia, & sine illa nequit eli-
ci; sicut nec intellectio sine principio radicali vitæ
intellectualis, quod est anima rationalis.

ARTICVLVS VI.

An & quæ fides requiratur ad justificationem
adulti, & utrum illa sola ad eam
sufficiat?

O Stendimus in Tractatu de gratia ad gratiam
justificantem aliquas requiri dispositiones:
unde solum hic restat examinandum, quænam illæ
sint, seu qui actus ad justificationem adulti, tam
ex parte intellectus, quam ex parte voluntatis sint
necessarii: Hic solum agemus de actu fidei, qui
se tenet ex parte intellectus, & articulo sequen-
ti alios actus ex parte voluntatis requisitos ex-
ponemus.

Duo verò circa necessitatem fidei sunt hæreti-
corum errores, omnino oppositi. Primus est Ma-
nichæorum, qui teste Augustino, libro de utilitate
credendi, omnem necessitatem fidei absteru-
runt, existimantes nihil omnino esse credendum,
sed duntaxat assentiendum his quæ ratione natu-
rali evidenter persuaderi possunt. In quem erro-
rem incidit Petrus Abailardus, teste D. Bernar-
do Epist. 190. Secundus contra solum motum fi-
dei sufficere ad justificationem adulti existimat.
Hæc fuit hæresis exorta temporibus Apostolo-
rum, ut refert Augustinus lib. de fide & operibus
cap. 14. contra quam suas Epistolas canonicas Pe-
trus & Jacobus scripserunt, eamque nostris tem-
poribus Lutherus, & Calvinus, eorumque seque-
ces suscitaverunt. Sed in eo differt Lutherus à Cal-
vino, quod Lutherus vult fidem illam, quæ justifi-
camur, non esse aliud quam firmam fiduciam, quæ
peccator confidit ob merita Christi sibi peccata
non imputari, unde eam ponit in voluntate: Cal-
vinus verò talem fidem collocat in intellectu, &
dicit esse actum quo certò credimus, ob Christi
merita, omnia peccata nobis esse remissa, & quo
veluti manu apprehendimus & trahimus ad nos
ipsam justitiam Christi, & nostram, saltem impu-
tativè, facimus.

§. I.

Duplici conclusione veritas Catholica stabilitur.

Dico primò, fidem requiri ad justificationem
adulti.

Probatum primò ex Scriptura: dicitur enim ad
Hebræos 10. *Sine fide impossibile est placere Deo;*
& Marci ultimo: *Qui crediderit, salvus erit, qui
verò non crediderit, condemnabitur.* Sed illud, si-
ne quo impossibile est placere Deo, & sine quo
homo condemnatur, est necessarium ad justifica-
tionem: Ergo ad illam fides requiritur.

V